

permissa, aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime ob tantam naturae corruptae in luxuriam proclivitatem habitus pollutionis contrahe- retur, et proinde ordo naturae brevi subverteretur; 3^o constat ex variis

lae, qui nondum possunt seminare, se ipsos turpiter contrectent..., utique est peccatum mortale;... attamen videtur specie differre a vera pollutione, per quam seminatur, in specie proprie reducendum ad impudicitiam tactus. Itemque Holzmann (part. 2. Tr. 2. n. 686.): Si impuberes, sive pueri, sive puellae, conentur impudico motu semen elicere, cum nondum possint, committunt peccatum specie diversum a vera pollutione, reipsa pertinens ad impudicitiam tactus... Ratio est, quia... cum semen non effundant, non committunt peccatum verae pollutionis, sed aliud specie diversum. Idem cogita de eunuchis semine ad generationem apto destitutis. Nec aliter Babenstuber (Tr. 5. disp. 7. art. 2. n. 71.): Impuberes..., qui conantur impudico motu semen effundere, cum nondum possint, peccant quidem mortaliter...; istud tamen eorum peccatum specie differt a vera et proprie dicta pollutione. Ratio est, quia de ratione verae pollutionis est effundere semen contra finem humanae generationis; sed nulla est in eiusmodi personis seminis effusio. Ergo. Hoc igitur peccatum reipsa ac proprie pertinet ad impudicitiam tactus... Quod de impuberibus dictum est, etiam de eunuchis intelligi debet. In his enim non est semen utile ad generationem. Et praeiverat Tamburini (De 2. Eccl. Praec. c. 17. n. 13.) inquiring: Qui ex defectu aetatis, vel ex alia causa (quales sunt impuberes, ut item eunuchi) non possunt motu impudico semen effundere, vel effundunt semen inutile, peccant mortaliter...; sed certe haec species peccati differt a vera pollutione, cuius est proicere semen contra generationis finem, quae proiectio non

est in praedictis eiusmodi; ergo peccatum in impuberibus reducitur reipsa ad tactum impudicum. Hinc vero rationibus, quas sapienter afferre solent Doctores, cur cautissimus esse Confessarius debeat in interrogandis de hoc argumento huiusmodi poenitentibus, haec pre-emptoria accedit, quod simul ac satis scrutati prudenter fuerint, num malitiose peraeta haec fuerint, nullus locus ulterioribus interrogationibus superest.

Ex his autem occasio eiusdem prope quaestionis quoad idem peccatum, si de feminis agatur. Uteumque enim theologi de muliebri semine sermonem, et pluribus quidem de causis, iniiciant; attamen ubi de ipsius natura deinde quaerunt, nihil nisi quid prorsus incerti communiter habent. Instar omnium sit Bonacina (De Matr. q. 4. p. 6. n. 13.), qui scribit: Secundum probabilissimam sententiam semen feminae nec active, nec passive concurrit ad generationem. Et Sanchez (lib. 9. disp. 17. n. 9.): Feminum semen nec esse necessarium, nec active ad generationem concurrere, docent Galenus sibi contrarius, Aristoteles, Avicenna, Albertus M., Hugo Senensis, et multi alii, et universa theologorum schola cum S. Thoma 3. q. 31. art. 4. ad. 3. Quod inde constat, quia, experientia teste, feminae omnino invitae... semen virile recipientes concipiunt; tunc autem minime seminant. Ergo cum absque eo semine... generatio sequatur, etc. Quamquam vero antiqui assectae Scoti, ut innuit Sanchez (l. c.), et dein Elbel (part. 4. conf. 9. n. 252.), post Hippocratem censerent, semen mulieris active concurrere ad generationem, ipse tamen Elbel (ibid. n. 253.) dein fate- tur, hodie a doctis Medicis communiter negari, dari in mulieribus verum se-

sacrae Scripturae textibus, v. gr. 1. Cor. 6. 10.: Neque molles... regnum Dei possidebunt; 4^o constat etiam ex proposit. 49^a ab Innoc. XI damnata, quae sic se habet: Mollities iure naturae prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona... — Vide S. Lig. n. 476.

II. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties causa proxima, id est per se directe et natura sua ad pollutionem tendens, v. gr. cogitationes morosae de rebus valde libidinosae, etc., sine iusta ratione ponitur (Scav. — S. Lig. n. 482.); est autem veniale, quoties causa, quae ponitur, est remota tantum, seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adiungatur. — Ita communiter. — Ratio utriusque patet. — S. Lig. n. 484.

III. Pollutio *indirecte* voluntaria omni peccato caret, quoties habetur ratio sufficiens causam eius ponendi, consensu seu affectu voluntatis in consequentem voluptatem secluso. Ratio est, quia ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa ex se indifferenti, unus malus et bonus alter aut aequalens, licet ponere causam intendendo bonum et permittendo malum (8). Maior autem ratio pro maiori periculo requiritur. — *Recole dicta de Act. hum.* n. 9. — Vide S. Lig. n. 483.

men, aut veros testiculos, sed potius ovaria quibusdam ovis parvulis (ab aliis vocantur versiculae) referta. Ita Georgius Francus apud Paulum Zachiam in Quaest. medic. legal. Qua veluti hypothese ex praemissis principiis recte idem (l. c.) concludit: Quidquid tamen de hoc sit, apud theologos certum et indubitatum manet, mulieribus aequae parum ac impuberibus vel spadonibus permissum esse, ut vel proprio vel alterius tactu ad venerem sese provocent. Porro cum modo res sit non iam incerta aut hypothetica, sed certa et apud Medicos seu physiologiae peritos exploratissima, id, quod femineum semen appellari consuevit, a veri seminis natura penitus diversum esse, nec alium eiusmodi humoribus finem a natura praestitutum esse, quam ut opus coniugii facilius efficiant; ex positis antea principiis ratio suppetit graviter ambi- gendi, num aliter quoad hoc sit nunc iudicandum de feminis, quam de impuberibus aut eunuchis iudicari iam vidimus. Unde sequeretur, quod cum alias iam causas

DD. afferre consueverint, ob quas parcendum sit interrogationibus de qualicumque feminea hac pollutione, multo nunc magis parcendum videretur, dum satis iam constat, in mulieribus, utcumque graviter peccent, tamen non adesse rationem illius specialis malitiae, quae pollutionis verae ac presse dictae propria est. Sed de tota hac re iudicent peritiores.

(8) In hisce adiunctis neque malus effectus reipsa dici debet voluntarius, neque agens proprie dicitur illius causa. Quando enim mere agitur de obligatione abstinendi a quapiam actione ratione effectus, qui sequatur praeter intentionem, ratio causalitatis non ab influxu physico, sed a morali desumitur, atque adeo agitur de causalitate, quae inducat moralem imputationem effectus sequuti, ita ut causalitas idem prope sonet ac quid culpabile. Idecirco tunc quispiam proprie dicitur esse in causa, quando ideo tenebatur ab actione abstinere, ne effectus ille sequeretur; non censebitur vero esse in causa, quando non ideo tenebatur ab opere absti-

430. **Resolves.** — 1^o Pollutio omnino involuntaria nullo modo est peccaminosa, ut patet. Hinc omni culpa vacat pollutio, quam pati potest medicus, chirurgus, vel Confessarius munera officii sui obeundo, modo pura agat intentione (9), nec consensum ullum delectationi praebeat.

2^o Pariter culpa vacat pollutio nocturna, quia a voluntate libera non oritur, nec ullus ei praebetur assensus, ut supponitur, sed nec animum quidem libidosum semper denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. gr., ex superfluitate naturae, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum. Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit causata et praevisa pro maiori vel minori advertentia et causae influxu. Sic pravae cogitationes voluntariae, prava colloquia, et alia eiusmodi somnum praecedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo vel in potu, etc. Pariter censeretur non debet mortalis pollutio nocturna, quae fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; iudicandum autem est, nullum consensum affuisse, vel ad summum valde imperfectum, quando ordinarie in statu vigiliae displicet; quia ex ordinarie contingentibus iudicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis teneto.

431. — 3^o Pollutio, quae subsequitur ex tactu, aspectu, vel lectione graviter turpi, est peccatum mortale etiam secluso actuali consensu, nisi iusta causa excuset. Ratio est, quia tunc pollutio est voluntaria saltem in causa, cum haec *per se* grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si haec leviter turpia sint, modo pollutio praeter agentis intentionem et contra eius voluntatem saltem directam sequatur; quia tunc in his non datur periculum proximum consensus neque in pollutionem, neque in veneream delectationem. Attamen periculum *in se* remotum potest *per accidens* alicui ratione propriae infirmitatis proximum evadere. — S. Lig. n. 482.-485.

4^o Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. — Lacroix, *de Poenit.* n. 1034. — Item mortale est acquiescere delectationi pollutionis etiam brevissimo tempore, et etiam si praeter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat. — S. Lig. n. 477. *A fortiori* si pollutio incepta conatu aliquo promoveatur.

5^o Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in confes-

nere, sed illud licite ac pro iure suo exercebat. Et hoc omnino sensu effectus dicitur sequi *per accidens*, non quasi scilicet effectus ipse non sponte sequatur a quapiam actione, sed quia agenti imputari non potest ceu causae morali; et hoc ipso,

quod dicimus effectum sequi *praeter intentionem*, iam dicimus effectum non esse *voluntarium*, ea nempe voluntate, cui moraliter ille imputari debeat.

(9) Idem effectum illum non intendat.

sione, an hic sit persona sacra, cognata, etc...; quia malitiam sacrilegii contraxit, vel incestus, etc. — S. Lig. n. 476.

6^o Peccatum non est *per se* equitare rationabilis recreationis causa, certo situ in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum altero sexu, infirmis inservire, eos in balneis adjuvare, artem chirurgicam exercere, et similia; quamvis praevideatur *per accidens* secutura pollutio, modo non intendatur, et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si accidat, et absit proximum consensus periculum. — S. Lig. n. 483.

432. — 7^o Distillatio voluntaria, etiam tantum indirecte, si notabilis sit seu cum notabili spirituum genitalium commotione fiat, peccatum mortale esse potest (10), quia est gravis deordinatio, et proximum pollutionis periculum inducit. Si vero parva sit et absque notabili commotione, distinguendum est: 1^o Si *directe* voluntaria sit, nec a mortali potest excusari; quia quaecumque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert commotionem et aliquam seminis effusionem. 2^o Si *indirecte* tantum voluntaria sit, facile etiam ab omni peccato excusabitur; quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissionem cuiuscumque alterius excrementi, quo natura se exonerare solet. — Ita expresse S. Lig. n. 477.

8^o Motus inordinati cum venerea delectatione, sive *graves* sive *leves*, sunt peccata mortalia, quoties sunt *directe* voluntarii, vel etiam quoties sponte obortis adhaeret voluntas; quia tunc adest venerea delectatio in se quaesita, quae materiae parvitatem numquam admittit. — Si autem a voluntate non pendeant neque in se neque in causa, ut saepe contingit, nullusque consensus eis praebetur, ab omni peccato sunt immunes. — Denique, si eorum causa libere ponatur, quin intendatur, de iis sicut de pollutione *indirecte* voluntaria, data tamen debita proportione, dicendum est. Hinc causa levis motum facile excusabit a gravi peccato, cum id asserant communiter DD. de ipsa pollutione cum S. Lig. n. 484. — Facilius enim poni potest causa talium motuum, quam pollutionis, ut patet.

9^o Licet alicui pruritus magnum patienti in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis acrimonia, ut ordinarie evenit, non vero ex libidinis ardore proveniat. Si enim accidat pollutio, secluso consensus periculo, *per accidens* et proinde inculpabiliter accidit. Caeterum adhortandi sunt poenitentes, ut in quantum fieri sine gravi molestia potest, ab huiusmodi tactibus temperent. — S. Lig. n. 483.

(10) Saepius tam adnotatum est, quidpiam hic dici *indirecte voluntarium*, quod praeter intentionem accidit: atque adeo etiam de distillatione *indirecte vo-*

luntaria valere ea, quae in not. ad n. 412. de pravis motibus, et ab A. n. 429. de pollutione indirecte voluntaria dicta sunt: quae quidem etiam A. paulo post innuit.

§. II. De sodomia.

433. — Horrendum sodomiae crimen est concubitus cum persona eiusdem sexus vel diversi, sed in vase indebito.

Hinc duplex sodomia distinguitur: 1^o *perfecta*, quae est concubitus cum persona eiusdem sexus; 2^o *imperfecta*, quae est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale, vel cum affectu ad vas in-naturale.

Sodomia est crimen multo gravius pollutione simplici. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, tum etiam inauditis poenis a Deo inflictis Sodomae et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

434. **Resolves.** — 1^o Sodomia perfecta specie differt ab imperfecta, quia per illam homo inordinate fertur in sexum et vax indebitum (11), dum e contraria per istam fertur tantum inordinate in vas indebitum.

2^o Coitus viri in vase indebito mulieris est sodomia imperfecta, specie tamen distincta a perfecta.

3^o Non tamen sodomia dicenda esset, si fieret tantum applicatio manus, aut pedis ad partes genitales alterius, quia nullus esset concubitus.

4^o Probabilius *per se* non est declarandum, quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. — Billuart, *cum aliis*. — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est. — S. Lig. n. 468.

(11) Communissime Theologi (Vide S. Alph. lib. 3. n. 466.), atque etiam Canonistae (Vid. Reiffenst. lib. 5. tit. 16. n. 88., Schmalzgrueb. eod. tit. n. 112. et Pirhing. eod. tit. n. 69.) perfectam huius criminis rationem constituunt in sola inordinatione sexus indebiti, contra ac affirmare videantur quidam interpretes iuris civilis (Vid. S. Alph. l. c.), dum eam in inordinatione praesertim indebiti vasis reponunt; qui tamen in hac re rationem potius habuisse videntur poenarum, quas in eodem civili foro huic quoque posteriori inordinationi infligendas censuerunt. Videri idecirco poterit Auctor ab utraque sententia discessisse; dum utramque inordinationem ad id postulat. Verum haud ita

se res habet; nam reipsa inordinationem posteriorem addidit, non quasi in ea huius criminis essentia resideat, sed quia ad rationem *actus seu concubitus consummati* pertinet; ex quo etiam factum est, ut inter sequioris sexus personas (prouti aliqui apud S. Alph. l. c. notarunt) *impropria* tantum sodomia detur, quod consummatio illa in his locum nullum habeat.

Haec porro notanda erant propter casum reservationem. Quando enim absolute et simpliciter sodomia reservatur, iuxta generalia principia intelligi debet crimen perfectum atque in genere suo consummatum. Necessse ergo est designasse, quisnam actus ad perfectam consummatamque sodomiam requiratur.

§. III. De bestialitate.

435. — Infandum et execrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est inter luxuriae peccata, quia naturae rationali maxime repugnat. Morte puniebatur in lege Mosaica: *Qui cum iumento aut pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Exod. 22. 19.* Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia, et specialis eius deformitas in accessu ad speciem diversam consistit. — S. Lig. n. 474.

436. — Tactus impudici cum bestiis, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, sunt tamen declarandi, quando aliqua venerea delectatio ex eis quaeritur. Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua iumenti, aut alterius bestiae, voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cuius speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 474.

Hic autem adverte, valde cautum, prudentem et parcum debere esse Confessarium in interrogandis poenitentibus de luxuriae peccatis, imprimis de iis quae magis horrenda et inconsueta videntur. Vide regulas infra tradendas in *Tract. de Poenitentia*, ubi de Confessarii muneribus.

DE VII. ET X. DECALOGI PRAECEPTO

Non furtum facies. — *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quae illius sunt. Exod. 20. 15. 17.*

Septimum Decalogi praeceptum prohibet omnem iniustitiam externam in bonis fortunae proximi. — Decimum vero etiam peccata *interna* concupiscentiae, id est desiderii honorum proximi et actionis iniustae vetat. De variis iniustitiae peccatis circa bona fortunae dicemus in *Tractatu particulari de Iustitia et Iure*.

DE VIII. DECALOGI PRAECEPTO

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exod. 20. 16.
Non falsum testimonium dices. Matth. 18. 19.

437. — Hoc praeceptum quatenus est negativum, prohibet 1^o *praecipue* et *primario*, ne dicatur falsum testimonium tum in iudicio tum extra iudicium; 2^o *indirecte* et *secundario*, ne laedatur fama et honor proximi.